





Pr. 56. num. 18.

19.

1762, 7.

AN ET QVATENVS
DEFERRI POSSIT
SVPER PARENTVM
TESTAMENTO IVSIVRANDVM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

CONSENSV

PRAESIDE

P. 288.

D. HENR. GODOFREDO BAVERO

SVPREM. CVR. PROVINCIAL. ET CONSIST.
LIPSIENS. ADV.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XVIII. SEPT. A. C. MDCCLXII

PVBLCIE DEFENDET

FRIDERICVS AVGVSTVS IVST

MARTISVVRG.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEIMIA



23. April 1780

SVPER PARLAMENTVM
TESTAMENTO IVSIVRABVVM

LEGIS ICTORVM ORDINIS

CONSENSV

TRAESID E

D. HENR. GODOFRIDO HAVERO

AVRARIORVM PROVINCIARVM ET CONSIST.
EIVSDEM

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XVII SEPT. A. C. MDCCCLXII


PUBLICE PUBLICE

FRIDERICVS AVGVSTVS REX

AVRARIORVM

I P S I A E

EX OFFICINA LINGVARIARVM



1780

2





AN ET QVATENVS DEFERRI POSSIT
SVPER PATERNO TESTAMENTO
IVSIVRANDVM.



§. I.
Non omnino liquet interpretibus de ratione
condendi testamenti priuilegiati parentum
inter liberos, aliis in scripto eo duorum te-
stium praesentiam exigentibus, eamque aliis remittentibus,
quorum ego sententiam veram existimo probatamque l. 26.
C. Famil. hercisc. et inprimis Nou. 107. cap. 1. quam legem
facile omnes dispositiuam et in constituendis paterni testa-
menti requisitis agnoscunt versantem. Porro haec etiam
sententia suos habuit auctores, defensoresque, non omni

*Recentur
dissensus in-
terpretum
circa conden-
dum testa-
mentum pa-
ternum ubi.*



ex parte remissa esse solennia a testantibus alioquin obseruanda, sed pertinere hoc priuilegium ad scripta solum testamenta, quod probare sibi videntur *cit. Nou. 107. cap. 1.* vt adeo nuncupando testaturis seruandas putent esse generales constitutiones, quibus omnino tenebantur antiquo Digestorum iure parentes. Quod alii tamen, quia posito altero alterum non excluditur, ex *l. 26. C. Famil. heredit.* negant rectius, quae videlicet lex eiusmodi dispositionem, etiamsi legum solennitate destituta sit, tamen custodiendam esse constituit. Ex quibus non potest non colligi, quia nouimus, nuncupando pariter atque scribendo fieri secundum ius commune testamenta *l. 21. D. qui testam. fac. etc.* hanc solennium remissionem ad utramque testandi rationem pertinere, quaeque praescripta sunt in *cit. Nou. 107. cap. 1.* parentibus obseruanda, de scripto tantum eiusmodi priuilegiato testamento intelligi, nuncupatiuum vero, modo de testatoris voluntate constet, subsistere debere.

§. II.

Tacent plerique interpretes de modo probandi huius testamenti.

De his omnibus, quae circa constitutionem paterni testamenti in primis monenda erant, fusius disserere, quod instituti ratio non patitur, eo lubentius propterea superse-
deo, quod alii dissentientium rationes fortioribus refutarunt argumentis, vt nemini facile in iure constituendo dubia fuerint visa. De probandae vero nostrae minus solennis vltimae voluntatis modo, vehementer miror, iuris interpretes aut parum, aut nihil, dixisse. Id enim, omnes intelli-
gent,



gent, facile fieri posse, vt negotium aliquod rite susceptum perfectumque effectu suo propterea destituatur, quod media desint, quibus iudici de eo fides fiat. Neque minus verum est, qua quid ratione constitutum sit, eadem etiam probandum non esse, sed concedenda potius communia probandi media, nisi lex certum probandi genus discrete exegerit. Ex quo non est dubium, testamentum, quo parens liberis suis, adiecto tempore, singulis certas haereditatis portiones, siue vncias, litteris, non numeris, expressas adscripserit, si perditum fuerit, etiam testibus, qui illud perlegerint, de legitima condendi ratione eiusque sententia iurato deponentibus probatum seruandum esse. Id vero non aequè expeditum est, mortuis, coram quibus nuncupando testatus fuerit parens inter liberos, testibus, vel si, solis liberis praesentibus, certas hereditatis partes adscripserit, an iureiurando fratribus delato a filio probari possit. Plerique interpretes hanc rem, quam nosse vehementer conducit, plane praetereunt. Affirmantes tamen inueni SCHILLERVM *Exercitat. ad Pand. XXXIX. §. 128.* et WERNERVM *Part. X. Vol. VI. Obs. 465.* eandemque BERGERI esse sententiam ex iis quae *Oec. Iur. L. II. Tit. IV. §. 3. n. 5.* monet, colligo.

An iurisiurandi deferendi super testamento paterno sit facultas.

§. III.

Negandum hoc ex eo videtur, quod, licet remissa sint communia testamentorum, quae aspernatur reuerentia, quam liberi parentibus debent, solennia, v. s T R Y C K. de

Reconsentur rationes dubitandi.



Cautel. Testamentor. Cap. X. §. 1. de vera tamen parentum voluntate omnino constare debet, quam adeo probare oportet. Iusiurandum vero, quo vel ex pactioe ipsorum litigatorum, vel ex auctoritate iudicis deciduntur controverſiae *l. 1. D. d. Iureiur.* non valet ex testimonio iurantis, ſed ex voluntate deferentis vel iudicis, vti ex hac ipſa lege patet, indeque dicitur continere ſpeciem transactionis *l. 2. eod.* Quod ni ita eſſet, habendumque potius per ſe iusiurandum probationis genus, etiam, qui, non deferente aduerſario, iuraſſet ſibi deberi, fidem faceret, cuiusmodi tamen iusiurandum non tueri Praetorem Vlpianus fatetur, addita ratione, quod ſibi iurauerit, et, hoc admiſſo, facillimus quisque ad iurandum decurrens, nemine ſibi deferente iusiurandum, oneribus actionum ſe liberauerit *l. 3. eod.* Unde etiam, quoties in iure noſtro legitimae probationes, quibus in iudicio aduerſarius coarguatur, proditae occurrunt, teſtes tantum et instrumenta non iusiurandum nominari inueneris, quemadmodum demonſtrant *l. vlt. C. d. Probat. l. 1. C. d. Teſt.* et aliae. Etenim quae artificiales dicuntur probationes argumenta in iure noſtro audiunt, cit. *l. 1. C. d. teſt.* Accedit, hanc probandi teſtamenti nuncupatiui per teſtes rationem praecſcriptam videri in *l. 21. §. 3. C. d. teſtam.* vbi Imperatores THEODOS. et VALENT. non aliter rumpi teſtamentum nuncupatiuum iure conditam produunt, niſi id, quod ſecundo teſtator facere inſtituat, iure fuerit conſummatum, vel, ſi in ſecunda voluntate teſtator eos ſcribere heredes inſtituat, qui alias ab inteſtato eſſent



essent successuri, hanc voluntatem quinque testium iuratorum depositiones confirmant.

§. IV.

Neque tamen haec omnia id efficiunt, vt iurisiurandi delationi nullum esse concedendum putem locum, vt potius speciosiora esse haec argumenta existimem, quam veriora. Etsi enim clara omnia et aperta IVSTINIANVS esse iubeat in testamento paterno, *cit. Nou. 107. cap. 1.* hanc, facile patet, de scripto tantum loqui, haud nuncupatio parentum testamento, quod non minus esse admittendum supra probauimus, quod et probat CARPZOV. *III. IV. 15.* FABER. *in Cod. Lib. VI. Tit. V. d. 24.* et alii. Huic igitur, quacunque ratione de eo constat, standum erit ex *l. 26. C. Famil. hercisc.* cui nihil *cit. Nou.* tanquam correctoria lege, quantum ad nuncupatum testamentum attinet, derogatum fuit. Deinde nec hoc admitto, de veritate testamenti nuncupatiui, si testes adhibiti deficiant, constare non posse. Sit species transactionis iurisiurandum, efficiat conuentio partium, vel iudicis auctoritas, vt iurisiurando fides habeatur, semper habetur fides iurisiurando, non praecedenti de iurando conuentioni, nec id iubenti iudicis sententiae. Quin ipsum iurisiurandum efficit, vt fidem testes inueniant *l. 9. C. de test.* Non sit fides ei, qui se ipsum offert iurisiurando. Annon hoc ita constitutum est fauore eius, contra quem iuratur, et an, quod fauore alicuius constitutum est, in eius odium detorqueri debet. Sane, licet sit transaction-

Quae resiliuntur.



actionis species iusiurandum, certe non integrum est regulariter ei, quem iurare iubet aduersarius, iurare velit, tantum minus, ut potius, deferente eo, a Iudice aut iurare, aut foluere, iubeatur, ut vel non rogati Iudices iuramenti delationem partibus, tanquam iuris beneficium, soleant concedere. Denique quod spectat ad *l. 21. §. 3. C. de testam.* facile omnes consentient, legislatorem partim de modo constituendi testamenti nuncupatiui, partim de obligatione omnes testes superfites audiendi, agere, non id exigere, ut omnes ferendo testimonio superfint, simulque adeo, modo vnus testium defecerit, inanem heredis probationem constituere, quod, prout iniquissimum foret, a nemine propugnatum inueni-

§. V.

Igitur non dubito cum SCHILTERO et WERNHERO *citt. supra locc.* admittere heredem coheredi, qui ipse testamento paterno adfuit, iusiurandum deferentem, multoque adeo magis, vno teste superfite, iuriurando suppletorio locum dare cum BERGERO *cit. supr. loc.* Idque imprimis, quum hanc sententiam *l. ult. C. de Fideicom.* egregie confirmet. Id vero non est dubium, audiendum non esse, qui iusiurandum deferre cupit ei, qui fertur ex testibus adhibitis audiuisse, quae fuerit voluntas testatoris. Quum enim ipsis testibus, nisi iurisiurandi religione ad perhibendum testimonium adigantur, nulla sit fides, aequè minus haberi potest iis, qui iniuratum eiusmodi testimonium acceperunt, adeoque, quid putent esse verum, non quid verum sit, vulgo, de credulitate, non de veritate iurare valent.


ULB Halle

3

006 385 451







Pr. 56. num. 18.

19.

1762,7.

F. 288.

AN ET QVATENVS
DEFERRI POSSIT
SVPER PARENTVM
TESTAMENTO IVSIVRANDVM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

CONSENSV

PRAESIDE

D. HENR. GODOFREDO BAVERO

SVPREM. CVR. PROVINCIAL. ET CONSIST.
LIPSIENS. ADV.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XVIII. SEPT. A. C. MDCCLXII

PVBlice DEFENDET

FRIDERICVS AVGVSTVS IVST

MARTISBVRG.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEIMIA

